

III.

NEOVIDENSIS

Nro 36. (*Neovidensis Nro 59.*)

Secretum litterarum commercium vivos
inter ac mortuos.

*Mensis Julius salutem adscribit suis duobus
Fratribus: Augusto, et Septembri.*

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 3 Ang. 1804. (*Neov. 20 Julii.*)

Nostri ad æternam requiem abeunt es Fratres,
Majus, & Junius commiserunt mihi directio-
nem ætatis ea cum declaratione, ut, quam
fertilitatem, rerumque omnium abundantiam
illi feliciter, & cum summa ubertate occeperant,
ego per universam orbem promovere
continuarem. Hac denunciatione nihil poterat
mihi esse acceptius, eapropter animo propo-
sui, ne hortulani rigando, terræque sitiendi
potum præbendo fatigentur, concitare omnes
ventos occidentales, ut marinis vaporibus re-
fertis nubes propellant supra agros, campos,
& vineas, potissimum autem sata æstiva, quæ
jam jam flavo colore correpta erant, recreent.
Omnia processerunt ex animi sententia. Mei
fratres Majus, & Junius ad maturitatem per-
duxerunt fœnum, aliasque herbas, ego vero
conservavi æstivos fructus, & lætam messem
procuravi.

Sine dubio nostri piæ memoriæ fratres; Aprilis, Majus, & Junius in Germania septentrionali inter rivos, & fluvios exundantem conflaverunt seditionem, qui instar Servianorum ad Belgradum e suis limitibus egressi, agros, & campos conculcarunt, Damos, & tuguria everterunt, omniaque bello tam madido oppleverunt, ut eodem cunctæ ephemerides cum quadam honoris significatione fuerint tumidæ. Verum hoc nullam merebatur approbationem. Nova similia sunt mercatoribus, dummodo hi lucrum faciant, cætera parum pensi habent: Idem evenit novorum fabricatoribus: Quamprimum in notitiam alicujus rei delabuntur, illico eam exquisitis verborum phaleris ornant; infelices autem casus suis querelis, & lamentis tristiores reddunt, & sæpe, arti suæ convenienter, adjiciunt mendacia, parum solliciti, quomodocunque se res habeat, satis est, folium esse repletum. At fluvii in Germania meridionali: Rhenus, Mœnus, & Niccerus partibus seditiosorum non adhæserunt, tristi enim experientia docti sciunt, quanta mala pariat revolutio. Deus misertus est hominum; fluvii extra ripas non diffluerunt; vulnera ex bello, & *secularisatione* residua nondum sunt sanata; evitarunt novum infortunium, lætissima ubique frugum ubertas est. Fœnificium triplo copiosius, ac alias successit, frumentum pulcherrime provenit; Obsonia, & caules erecti consistunt, veluti totidem milites, omnesque æstivi fructus a suo iætero curati sunt.

O amantissime Frater! Iste annus tam beatus erit, quam qui maxime! Abundantia rerum omnium affluemus. Remittet ne etiam rerum pretium? Noli dubitare. In continente nullus est belli metus; plerosque Imperantes jam tædium tenet tentandorum armorum. Malunt illi se tempore belli maritimi intra munimentum suavissimæ neutralitatis recipere, cui insistit experientia procul amandatura omnes politicas involutiones. Heus! quam certa affulget in futurum spes!

Verum, dilectissimi Fratres! adeste animis, unum adhuc gravissimi momenti negotium vobis imponitur. Ego, & nostri vita functi fratres victui abunde consulimus, Culina opipare adornata est; solus potus adhuc non caret periculo. Nullus dubito, quin probe intelligatis de vino sonare meam orationem. Aspiciate vineas, quanta amœnitate, virore, ubertateque perstringant oculos, quantæ magnitudinis botris turgescant vites! Nulla iis nocuit pruina, nullus arrosit vermis, rectissime se habent omnia. Jam vinicola exilit præ gaudio, ejusque uxor spem sibi facit novæ vestis, in qua tripudiet, jam conquiruntur vasa, & ut fama fert, pro vacuo reddetur plenum. O felicia tempora! O spes amplissimas!

Inprimis tamen tibi mi Frater Auguste! vineta habeo commendanda; non enim ignoras, tributum tibi esse in Aula Bachi titulum hæreditarii Coci, ea gratia vocaris mensis excoctor! Profecto digna est tam eximia dignitas, ut officio tuo rite fungaris, hinc pendet omnis tua existimatio. Non poteris culpam

conjicere in fratrem nostrum Aprilem, quasi ille sua mutabilitate vitibus pruina, & gelu inducens, easdem ambusisset. Minime gentium; nunc ejus imperium pleno ore laudatur, sed etiam ejus frater Majus suo muneri egregie satisfecit. Videndus denique fuisset tibi facetus noster frater Junius, quanta cura ille conservaverit flores vitium; circa festum Joannis odorem balsaminum exhalabant omnes vineæ; regnante fratre Junio usi sumus serenitate stabili, & constante. Isti erant dies pleni lætitiæ. Hic jam repetit Paterfamilias mutuo datas pecunias, ut possit vinum coemere, ibi perpurgantur cellaria, & rationes ineuntur, quotnam urnarum sint capacia. Ubique exauditur sonus vacuorum, quæ reparantur, vasorum, conficiuntur nova vasa, integræ naves iis oneratæ defluunt versus partes Rhenanas. A memoria hominum non erant ita onustæ vites.

Potestne venire præsens annus in comparisonem cum anno 1783^{io}? Eritne eadem quantitas, & qualitas vini? Hoc quidem in disceptatione versatur, & adhuc sub judice lis est. Nonnulli optant valde bonum vinum, quorum desiderio ipse lubenter assentior, verum alii opponunt, quid juvat bonum crevisse vinum? Illico adveniunt vini quæstores, & opulenti homines, præemunt omnia, inferunt Cellariis, intenti lucro augent vini pretium, quod in subterraneis reconditur bibliothecis, ut longo tempore nemo velit ingentia hæc volumina reserare, expectatut tempus, quo ex venum dato vino ingens vis pecuniæ redigi possit; hac ratione nonnisi junioribus hujus ætatis ho-

minibus dabitur occasio illud bibendi, seniores enim prius anima relinquet, quam possint illud delibare, sed etiam juvenes sero tantum eodem perfruentur; interim nos, qui nec ita divites sumus, nec possumus tanta pecunia carere, cogemur viliori vino, vulgo *Plempel* dicto contenti esse, nos itaque, quibus ad rastros, ut ajunt, res rediisse videtur, mediocre, potabile vinum desideramus. Ast estne hoc justum, & æquum?

Frater Auguste! arma te igne, & calore, perduc succum viteum ad eam maturitatem, ut annus iste memorabilior sit in Annalibus germanicis anno 1783^{io}. Sic gloria, & bonitas productorum Germaniæ super astra effertur; tibi tanquam hæreditario Archicoco in omnibus Cellariis, & computationibus jucundissime litabitur, & quamdiu vinum, tamdiu semper honos, nomenque tuum manebunt.

Et tu Frater September, qui te nobis usque ad autumnum comitem adjungis, ne cesseris frigori, uti anno elapso factum, tu enim magis referendus es ad æstatem quam autumnum; prohibe a vineis frigidos ventos, mitte eos ad Fratrem tuum Novembrem, cui illi meliori possunt esse usui; effice, ut radii solis vineta collustrent, impera subinde calidam pluviam, quæ cutem, cui nobilis vini succus inclusus est, extenuet, emolliatque. Postquam autem tibi discedendum erit, ex animo non excidat commendare vineas fratri nostro Octobri. Ille etenim ita, sicut tu, in Aula Bachi fungitur munere hæreditarii, & Archi-Pocillatoris; perpendat, velim, obtinuisse se nomen

Mensis vini, quo in omnibus Fastis gloriatur; secus si nobilem vitium succum corrumpi si-
verit, in pœnam loco mensis vini appellabitur
mensis aceti, quod omnibus nobis fratribus,
totique nostræ familiæ turpem ignominiaë no-
tam inureret. Hæc sunt, quæ vobis, dilecti
fratres, antequam migrarem, hodie perscri-
bere volui. Valete, & sequimini consilium
optimi vestri fratris Julii.

(Continuatio Provincialium negotiorum in Electoratu
Württembergico.)

Ad Suam Electoralem Serenitatem

Deputatorum ex majore Provinciali Collegio humillima
declaratio ad altissimam de 20. hujus mensis signatu-
ram, quæ examen Provincialium Personarum super
facto ab universa Provinciæ congregatione 18. h. m.
proposito attinebat. d. d. 25. Junii 1804.

S e r e n i s s i m e !

Altissima signatura, quæ 20. hujus mensis ema-
navit, nobisque 22. innotuit, placuit Vestræ Ele-
ctorali Serenitati, significare majori Provinciali Col-
legio, per datam die 18. ab Universitate Prælato-
rum, & Provinciæ declarationem, nec principale
factum Electoralis Signaturæ de 12. cum suis cir-
cumstantiis, nec alia puncta, satis, uti oportebat,
fuisse dilucidata, hoc tamen non obstante conti-
nuatam Inquisitionem negotii in quæstionem assumpti
necessariam esse.

Obsequentissimi subsignati præsumunt hanc in-
rem sequentia in omni demissione adnotare.

Humillima universorum Prælatorum, & Provin-
ciæ de 18-va declaratio nulli dubio relinquit lo-
cum, hic non esse sermonem, uti initio Vestræ

Electoralis Serenitati male relatum fuit, de facto a paucis tantum quibusdam pertractato, sed de tali, quod a tota Universitate conclusum est.

Jam autem singularibus Provincialium Collegiorum membris, aliisque huc pertinentibus Personis, quæ semet ad perpetuum silentium obstrinxerunt, non est integrum prodere, quod in negotiis Provincialibus dicitur, aut deceditur, gravis hæc esset sacramenti religionis violatio. Quodsi vero de hac comununi obligatione aliquid adhuc dubium nasci posset, quod tamen ob naturam nexus Provincialis nequit cogitari, locum haberet Dispositio passionis hæreditariæ de Anno 1770. Cl. Grav. I. §. 2. Vi cujus in casibus, in quibus de legum fundamentalium interpretatione, & applicatione dubitatio occurrit, primum quidem adhibeatur amicabile compositio, hac vero non succedente, totum negotium substernatur decisioni Sux Cæsareæ Majestatis, interea autem omnia maneant in statu, in quo erant, ante enatam controversiam.

Cæterum perpetuus hujus obligationis usus confirmatur etiam altissima recognitione de 26. Novembris 1801. Nimirum jus supremæ Inspectionis nec in casu, quo Provincialia Collegia reipsa de aliquo crimine accusarentur, eo potest extendi, ut liceret Provinciales Personas de actionibus publicis Provinciae quæstionibus subicere, quin potius Provinciali majori Collegio tantum præcipitur, ut de certis Cæsareæ Majestatis propositis interrogationibus Collegialem submittat declarationem.

His obedientissime subscripti se altissimis gratiis, & favoribus humillime commendant, & jugi venerationis cultu persistunt. Stutgardiæ 25. Junii 1804.

Vestrae Electoralis Serenitatis
Humilissimi, Fidelissimi, Obedientissimi

Deputati Majoris Provincialis
 Collegii.

Resolutio Problematis No. 14. propositi.

Pecunia, quam Architectus quotidie postulavit, sit $\equiv x$. Cum eidem 5 debeant remanere, vi hujus conditionis erit $\frac{x-5}{6}$, $\frac{x-5}{7}$; $\frac{x-5}{8}$ & $\frac{x-5}{9}$

divisibile. Quia autem Problema indeterminatum est, ponatur $\frac{x-5}{6} = A$; erit $x = A + 5$; substi-

stituatur hic valor in secunda conditione, erit $\frac{x-5}{7} = 6A$. Ponatur $\frac{6A}{7} = B$, erit $A = \frac{7B}{6} = B \frac{7}{6}$

Porro sit $\frac{B}{6} = C$, erit $B = 6C$, & $A = 7C$; consequenter $x = 42C + 5$. Substituatur hic valor de x

in 3-ia æquatione, prodibit $\frac{x-5}{8} = \frac{42C}{8} = 5C \frac{21}{4}$

Sit jam $C = 4D$, & $x = 168D + 5$. Ex 4-ta conditione provenit $\frac{x-5}{9} = \frac{168D}{9} = 18D \frac{2}{3}$. Sit

$\frac{2D}{3} = E$, erit $D = \frac{3E}{2} = E \frac{3}{2}$. Ponatur porro $E = 2F$, adeoque $D = 3F$, & $x = 504F + 5$. Quo

posito possunt omnes possibiles numeri pro F assumi. Assumatur $F = 1$ erit $x = 509$. Dein sit $F = 2$ erit $x = 1013$. Differentia ergo Arithmetice Progressionis est $\equiv 504$. Si est $x = 509$, tunc numerus Ministratorum est $\equiv \frac{509-5}{6} = 84$. Fossorum $\equiv \frac{509-5}{7}$

$\equiv 72$. Murariorum $\equiv \frac{509-5}{9} = 56$. Et Fabrorum

lignatorum $\equiv \frac{509-5}{8} = 63$.

Hoc Problema rite resolverunt: Manheimensis Sinzheimer, & Vaiblingensis Sixt.